

LA DECLARACIÓN DE NULIDAD DEL MATRIMONIO DE DOS ACATÓLICOS. TEXTO Y COMENTARIO

I. TEXTO*

Responsio in casu particulari seu «in re peculiari» ad propositum quaesitum de statu libero nupturientium.

Vicarius iudicialis dioecesis N. ad hanc Signaturam Apostolicam hoc quaesitum proposuit:

«Attento quod acatholici iuxta can. 11 legibus mere ecclesiasticis non tenentur, et perspecto quod canon 1684, de duplici decisione conformi pro nullitate requisita ut quis novum inire possit matrimonium, est lex mere ecclesiastica, *quaeritur* an liceat assistere matrimonio partis catholicae cum parte acatholica, cuius matrimonium antecedens cum parte pariter acatholica a tribunali Ecclesiae catholicae solummodo in prima instantia nullum declaratum fuerit».

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo perpensa;

Animadverso quod de libero statu contrahentium constare debet *ad normam iuris canonici*, si ipsi matrimonium coram Ecclesia catholica petunt (cf. cann. 1066; 1085, § 2; 1113-114); quodque item tribunalia ecclesiastica ad normam iuris canonici procedere debent, si quis, etiamsi acatholicus, eorum ministerium petit;

et considerato quod:

— «Matrimonium catholicorum, etsi una tantum pars sit catholica, regitur iure non solum divino, sed etiam canonico...» (can. 1059); quam ob rem pars acatholica in casu, indirecte saltem, subicitur iuri canonico;

— Iuxta can. 1085, § 2 (qui tuetur ius non mere positivum), non licet matrimonium contrahere «antequam de prioris nullitate aut solutione *legitime et certo constiterit*», evidenter ad normam iuris canonici;

— Ius processuale canonicum agnoscit habilitatem «coniugum» etiam acatholicorum impugnandi matrimonium coram iudice ecclesiastico (cf. can. 1674, 1.º coll. cum. can. 1476); praescripta iuris processualis canonici sine dubio etiam in huiusmodi casu vigent et consequenter etiam canon 1684 (sicut et canon 1682);

* AAS 84 (1992) 549-50.